



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT XXXVII.

ALTA INFERIOR, *sive* ALTAICH
inferius, in Bauaria inferiori, ad Da-
nubium.

Amplissimum ac ditissimum monasteri-
rium istud benedictini Ordinis, in
Bauaria inferiori ad Danubium est si-
tum. Vnde verò *Altaich Inferius & Superius*
nomen atq; originem habeant, nempe à dua-
bus vetustissimis & prodigiosæ magnitudi-
nis quercubus in ripa Danubij, quò frequens
populus gentilis coibat, & victimas immo-
labat (quæ loca vobis post receptam Christi-
anam religionem in templa, ac deinde in cœ-
nobîa commutauerunt) tradit Ioannes Auen-
tinus in Annalibus suis, libro tertio.

Fundatum est hoc monasterium, sicut &
Altaich superius, ac pleraque alia, consilio
S. Pirminij, Episcopi Metensis, ab *Vtilone* Du-
ce Bauariæ, in honorem S. Mauritij anno 741.
sub Zacharia Pontifice Maximo, Bellis ta-
men postea atque incendijs vastatum fuit:
Instauratum verò per Imperatores & Reges
Romanos qui illud maximis muneribus &
priuilegijs auxerunt, sicuti hoc ipsum te-
stantur Annales eiusdem monasterij. *Tassio*,
filius *Vtilonis*, plurima prædia huic
monasterio dedit, quorum magnam par-
tem per discordiam Principum amisit. *Ca-*
rolus Magnus tradidit huic monasterio pri-

741.

M

uile-

uilegia immunitatis, & prædium in *Spitz* & in *Bachouia*, in Austria anno 812. Chronicon monasterij Altaichensis per Georgiū Abbate conscriptum, tradit Carolum Magnum, cū terram Auarorum siue Pannoniam, quæ nunc Austria est, octo annis perdomuisset, expulsi Auaris, totam inter Ecclesias Bauariæ, Pontifices, Abbates, Comites & Barones diuisisse, & monasterio Altaich magnam partem tradidisse. *Ludouicus* item, Caroli Magni nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Ecclesiæ Altaichensi quædam priuilegia an. 843.

Huic monasterio Altaichensi incorporatum est monasterium de *Rinichnach* an. 1040. vt tradit *Hundius* in Metropoli Salisburgensi.

Altha, siue

ALTAICH SUPERIVS, ad Danubium,
in Bauaria.

VTilo Dux Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metensis, qui tunc apud ipsum erat, sex monasteria construxit, vnum prope *Menem* lacum Noricorum (de quo supra diximus) quinque in inferiori Bauaria iuxta Danubium, *Pataviæ Nidernburg*, pro sacris virginibus, *Osterhouen*, *Pfaffenmunster*, *Altaich superius* & *inferius*, quæ S. Pirminius dedicauit. Althæ superiori *Etao* Argentoratensis Episcopus dedit monachos S. Benedicti, circa annum Domini 739. Aduocati Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui

739.

multa

multa beneficia ei contulerunt. Nam *Asvvinus & Fridericus*, Comites à Pogen, monasterium hoc ab Vngaris exustum anno 1102. instaurarunt; vnde non solum pro Aduocatis verum etiam pro secundis fundatoribus illius monasterij habiti sunt. Sic idem Hundius in Metropoli Saliburgensi.

CAPVT XXXVIII.

Fuldense monasterium in Silua Buchonia in Germania

ANnaliū litteræ annum signant conditi Fuldenſis monaſterij ſeptingentiſimum quadrageſimum quartum ab ortu Chriſti. Teſtis Rodulphus hiſtoricus Fuldenſis, hiſ verbis: *Monasterium conſtituit S. Bonifacius monachorum anno ante paſſionem ſuam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadrageſimus & ſeptuageſimus annus: quo nihil dici potuit rotundius. Paſſus eſt enim S. Bonifacius anno 755. in Iunio; Rudolfo aſſentitur Marianus Scotus, & alij: Neque intereſt biennio citius à Sigeberto vel ſerius ab alijs originem hanc litteris commendare.*

Conſummando monaſterio auctores exſtiterē Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Caroli Martelli filius & Caroli magni patruus, nec nō Zacharias Pōtifex Romanus.